

postquam Mendicus eiectus est à Phariseis, se Dominus illi prabet, & manifestat: Ad hoc respondet primò D. Cyrillus Alexandrinus lib. 6. in Ioannem, cap. 10. Pharisei quidem illum prius cæcum eieciabant, sed Christus eum suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cum eiectus est de consortio inimicorum Christi. Magna diuinitatis reuelatio, quòd Christus sit verus filius Dei non conceditur homini, cum eius oculi aperiuntur in fonte Siloè, ac visum recipit, nec cum valde generose dispntat cum Phariseis, sed modò cum ab eorum communione eiectus est, discessus enim ab iniquis multa ad sublimia approximat est, & quantum quis recedit ab iniquorum consortio, tantum ad altiora euolat.

Euge iniquos, ut magna percipias.

156.

Idem D. Cyrillus citato proximè loco: *Quandiu, ait, inter Phariseos iste, & ignominia ab eis non est passus, non se illi denud exhibuit, sed cum primum extra illorum est contubernium expulsus, & ignominia nota pro Christo affectus, protinus se illi Christus presentem ostendit.* Accipit homo à Christo beneficium oculorum, & tamen tunc diuinitatis Christi notitiam non accepit, sed modò, quando cum ignominia reiectus est à Phariseis, qua minime hebetatur, sed firmus in suum benefactorum perseuerat, multa enim assequitur à Deo, qui aduersitates pro Deo patitur, & sustinet, illisque non frangitur, sed immobiliter corroboratus perseuerat.

Qui aduersa patitur, magnorum sit dignus.

157.

Præcepit Deus filiis Israel, quòd Agnus ab eis manducandus, aqua non coqueretur: sed igne assaretur. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igne,* Exod. 12. num. 9. Cur tam districtè præcepit Deus, ut agnus aliter non comedatur, nisi tantum igne assus? Cum carnes igne assantur, ipso igne non dissoluntur, sed maximè coadunantur, & obdurantur, ac corroborantur, & ea virtus maximè Deo placet, eique est acceptabilis, quæ ardore ignis, ac persecutionis, non dissoluitur & frangitur. D. Gregor. Magn. apud Lyppom. *Quæ carnes agni assandæ sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vero ignis sine aqua excoquit, roborat, carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis passionis, illius ad resurrectionem ualentior reddidit, ac in incorruptionem roborauit.*

Placet Deo, qui aduersitatibus non frangitur. Gregor. Lyppom.

Et dixit Iesus: in iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.

Et audierunt quidam ex Phariseis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus?

Dixit eis Iesus: si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, quia videmus. Peccatum vestrum manet.

VERSIONES.

Syriacus n. 39. Ad iudicium huius mundi ego veni.

Arabicus. Vt iudicem hunc mundum ego veni.

Arabic n. 40. Audiuit hoc quidam Phariseorum.

Arias. Existentes cum ipso, & dixerunt.

Syriacus n. 1. Si cæci essetis, non esset peccatum in vobis.

Arabicus. Peccatum vestrum firmiter est.

Syriacus. Propterea peccatum vestrum præstat.

Luc. Barges. Illud peccatum vestrum manet.

EXPOSITIO XIII.



X proximè facta cæci confessione, ex ipsòque tam in visum animæ, quam corporis restituro; ex astantibus Phariseis in sua obstinatione permanentibus, sumpsit Christus occasionem ad præsentem doctrinam subiiciendam. In iudicium. D. Chrysostomus homil. 58. Euthymius, Theophylactus, Leontius, iudicium pro condemnatione, & supplicio interpretantur, eorum scilicet, qui videntes eius mirabilia, ac alios credentes, ipsi immobiles in sua infidelitate permanserunt. Inde tamen mihi hæc sententia non placet; quia hic iudicium ad utramque partem sententiæ tam ad non videntes, quam videntes est referendum. Secundò. D. Cyrillus, seu Clitonaus in eius supplemento, Iansenius, & alij dicunt iudicium hæc significare Dei consilium, seu decretum, quo factum est, ut gentiles cæci lumen Christi viderent; & Iudei sua infidelitate illud non viderent. Maldonatus iudicium Dei prouidentiam denotare vult.

158.

Chrysof. Euthym. Theophyl. Leont.

Cyrril. Clitou. Iansen.

159.

August. Albertus. D. Thom. Bonauent. Tolet.

Matth. 11. Cyrril. Chrysof. Theophyl. Euthym.

160.

Græcus. Leont. Theodor. Theophyl.

Aprior tamen mihi est sententia D. Augustini tractat. 44. in Ioannem, Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Toleti, & aliorum hæc exprimi iudicium discretionis piorum ab impijs. *Vt qui non vident, videant.* Vt illi, v.g. Gentiles, ac paruuli, v.g. hic mendicus, qui non videbant, & simplices nempe, ac ignorantes erant, visum mentis credentes recipiant. *Et qui vident, cæci fiant.* Et qui videbant, utpote Scribæ, & Pharisei, qui Scripturarum, & legis scientiam profitebantur, propter eorum incredulitatem cæci facti sunt. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis,* Matth. 11. n. 25. Aduerte cum D. Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, quod illa particula, *ut*, non causam, sed consecutionem indicat, cum non propterea venerit Christus, ut aliquis excæcetur, sed eorum malitia ex illius sacratissimo aduentu hoc est consecutum.

Et audierunt quidam ex Phariseis, Græcè legitur; *audiuit quidam ex Phariseis, illi, qui cum ipso erant:* nempe in comitatu eius obseruantes eius dicta, ut eum caperent in sermone: *Nunquid & nos cæci sumus?* Leontius, Theodorus Mopsuest, Theophylact. dicunt, quod cum Pharisei nil spirituale cogitarent, Christi sermonem de cæcitate corporis intellexerunt; sed si ipsi agnouissent, quod cæcitas corporis eis obiciebatur, potius iriderent, quam indignari essent, quia videbant se corpore non esse cæcos; ergo cum indignati quærunt,

Cyrril. Theophyl.

quærunt, *Nunquid & nos cæci sumus?* Perceperunt se ipsos à Christo pungi, ut docent D. Cyrillus, Theophylactus, ipsi quoque loqui non de cæcitate corporis, sed animæ, ac si dicant, nunquid nos sumus cæci scilicet insipientes, ac indocti, rerum diuinarum ignari? Itane tu venisti, ut cæcos corporaliter illumines, & nos legis doctores spiritualiter, ac intellectualiter videntes excæces? Ostende nobis hanc cæcitatem, & amentiam.

161.

Chrysof. Euthym. August. Theophyl.

Beda. Maldon.

Euthym.

August.

Dixit eis Iesus: *si cæci essetis.* Primò D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus interpretantur de cæcitate corporis, ac si diceret, si essetis cæci corpore peccatum non haberetis; nam tunc essetis humiles, & non superbi; nam cæcitas humiliter animum. Secundò & satis aptè D. Augustinus tractat. 44. in Ioannem, Beda, Maldonatus, & alij; si vestro sensu, ac iudicio vos cæcos, ac ignorantes cognosceretis, non haberetis peccatum, quia vestræ cæcitatæ remedium à me quæreretis. *Nunc vero dicitis, quia videmus.* Quia persuasi estis vos videre, ac intelligere, quæ necessaria sunt ad salutem, cum illa minime percipiatis, ac intelligatis. Peccatum vestrum manet insanabile, & irreversibile, nullam admittens excusationem. Euthymius: *Quia dicentes,* ait, *vos videre, nec videntes, voluntarie excæcamin, ab inuidia, & malitia.* Et addit D. Augustinus: *Quia dicendo videmus, medicum non quæratis, in cæcitate vestra remanetis.*

Arabicus. Arias.

oues suas vocat nominibus suis. Vocantur nominibus suis. Vocat iuxta nomen suum.

EXPOSITIO I.



MEN, amen dico vobis. Verba ista esse superioribus cap. antecedentibus connexa omnium est sententia, quamvis modò sex plicandi nò sit idem; licet omnes modi interpretandi facile inter se coincident. D. Chrysost. homil. 58. Euthym. Theophylact. inquit, quod Christus hic occurrit tacitè Iudæorum obiectioni, quia fugiebant ipsum, non quia essent cæci, ut eos appellauerat superiori cap. n. 39. sed quia se dicebat verum Pastorem populi, cum non esset, D. August. Beda, Rupertus, Albert. Magn. astrunt, quod Christus ostendit Phariseos cæcos, quia si cæci non fuissent, eum esse verum Pastorem, ac Messiam agnouissent. Tertid apertissimè noster D. Cyrillus in Catena Græca, & Lucifer Careltan. citatus, quòd Christus in fine superioris cap. Phariseos vocauit cæcos, eorumque peccatum remanere indelebile dixit, quia ipse soli se existimabant legis Doctores, maximeque dolebant quod populus Christum nouam doctrinam prædicantem sequeretur; vnde cæcum ipsum consistentem eiecerunt de Synagoga, ac de suo ouili tanquam quandam pseudopphetam sequentem; nunc verò ostendit Christus Dominus, quòd ipse sit verus Messias, verusque Doctor, ac Pastor, & omnes, qui per ipsum, eiusque doctrinam non intrant, non spectare ad ouile sui patris, ac ad suam Ecclesiam, sed esse fures, & latrones, qui cum ingrediuntur per aliam doctrinam non intentant, nisi perdere, & mactare oues.

Chrysof. Euthym. Theophyl.

August. Beda. Rupert. Alb. Maga.

Cyrril. Careltan.

Connexio eù superioribus.



CAPVT XIX.

Bonus Pastor.

Ioan. 10. n. 1. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.

Num. 2. Qui autè intrat per ostium, pastor est ouium.

Num. 3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & ducit eas.

VERSIONES.

D. Cyrr. n. 1. Qui non intrauit per ostiũ, sed descendit per alteram partem.

Syriacus. Qui non intrat per ostium in caulam ouium, sed ascendit per locum alium: ipse fur est, & latro.

Theophylact. In stabulum ouium. Lucifer Careltan. lib. 2. Qui intrat per ianuam.

Syriacus n. 3. Atque huic custos ostij, referat ostium, & oues audiunt vocem eius: & Sylueira in Euang. Tom. IV.

Qui non intrat per ostium. Tum mali pastoris, ac furis, tum boni pastoris, ac veri notas proponit parabolicè Dominus. Et prius furem, & latronem, quam verum pastorem describit, quia facilius cognoscimus, quis fur sit, quam quis sit bonus pastor. *Qui non intrat per ostium,* per communem, ac regiam viam: *in ouile ouium.* In caulam, seu stabulum ouium, ait D. Chrysost. *Hoc est ad oues, earumq. curam.* Nam oues præter pastorem etiam per ostium intrant. *Sed ascendit aliunde,* ut alij legunt, per alium nempe locum, v.g. per sepem, vel maceriam. *Ille fur est, & latro.* Fures, ut ait D. Hieronymus in cap. 7. Olee, insidiantur, & occulta fraude decipiunt; latrones audacter aliena ditiipiunt. Et D. August. *Fur est,* inquit, *quia quod alienum est, suum dicit;* latro, quia quod est furatus, occidit. *Fur furatur, latro mactare intendit oues;* cum ergo iste non curet legitimum introitum inde ingressus eius ad oues est suspectus.

2.

Chrysof.

Hieron.

August.

Qui autem intrat per ostium. Sex conditiones boni pastoris, quibus à fure distinguitur hic ponit Iesus. Prima est, quòd intrat per ostium ad curandas oues; & inde auidenter, ac confidenter per ostium ingreditur. E contra verò latro malitia sua eum accusante extraordinarium locum quærunt. *Huic ostiarius aperit;* ecce secunda conditio. Introducit hic Iesus magnum patremfamilias, in cuius villa sit constitutus ianitor, ac præfectus ad custodiendas portas, ac caulas ouium, in hoc vultur cura optimi patrisfamilias, quod scit custodire suam domum, illique optimum ostiarium prouidere.

3.

Conditiones boni pastoris.

Handwritten signature or note at the bottom of the page.

4. *Et oues vocem eius audiunt.* Tertium signum probi pastoris, quod oues vocem eius audiunt, audiendo nempe obediunt, eumque agnoscunt ex voce, cum ad furis, ac latronis vocem expauescant; eumque audiunt, & agnoscunt tam ex communi consuetudine, quam ex pastoralis cura, ac benevolentia pascendi, & proprias oues: id est suas, quas ut suas diligit, de eisque agit tanquam suae propriae curae commissas. *Vocat nominatim.* Hoc est quartum indicium boni pastoris. Et ostendit summam diligentiam erga oues. Nam, ut ait Euthymius: *Neque enim illas vocat nominatim, qui singulas diligenter non agnoscit.* Quintum signum. *Et educit eas.* Ad pascua scilicet. Sextum autem signum dabitur sequenti expositione.

QUESTIO I.

Totius parabola sensus secundum suas partes explicatur.

5. **I**NTRODVCVNTR in hac parabola, primo ouile, & est Ecclesia, quae olim apud Iudaeos Synagoga dicebatur; nunc vero est vna Ecclesia sancta Apostolica, & Romana. Secundo. Herus ouilis, est Deus Pater totius Ecclesiae Dominus, & gubernator. Tertio. Oues. Licet D. Augustinus tractat. 45. Estius, & alij per eas intelligant solos praedestinos ad gloriam. Aptius tamen intelliguntur omnes fideles qui sunt in Ecclesia, siue electi ad gloriam, siue non, ut docet D. Chryostomus; ait enim Christus Dominus infra num. 12. *Lupus rapit, & dispergit oues.*

6. **Q**uarto. Pastores. Theodorus Heracleotes ait hic significari vnum tantum pastorem, qui est Christus Dominus: tamen quamuis Christus sit primus, & principalis pastor hic denotatus, qui de se ait infra: *Ego sum pastor bonus, qui oues proprio corpore, & sanguine pascit, easque de luporum faucibus liberauit.* Ezechiel. 34. num. 23. Tamen communiter Auctores Beda, Rupertus, Carthusianus, Hugo, Maldonatus, & alij interpretantur, omnes Praelatos, qui per ostium, nempe per Christum intant, ouesque ad pascua sacrae doctrinae, ac virtutum deducunt. E contra vero qui non intrat per Christum in Ecclesiam, non est pastor, sed fur, & latro, qui fideles laniare, & necare conatur. Tales fuerunt Iudas Galilaeus, & Theodas, Actorum 5. num. 36. & 37. qui falso intenderunt Messiae dignitatem usurpare, ut populum Iudaeum perderent.

7. **Q**uinto. Ostiarius. D. Chryostomus, Euthymius, existimant ostiarium esse Moysen, cui ostium, Dei eloquia sunt credita. Moyses enim Christo Domino dat testimonium, & eum ut principem totius Ecclesiae ostendit: iuxta illud: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* D. Cyrillus, & etiam Leontius, ostiarium existimant Angelum qui vniuersae Ecclesiae praestitit, v.g. D. Michael. D. Augustinus existimat, quod Christus Dominus est ostiarius, qui se ipsum aperit, sequemetipsum nobis exponit. Tandem D. Chryostomus, D. Augustinus, Theophylactus, Rupertus inquirunt, quod ostiarius est Spiritus sanctus, qui nobis aperit scripturas, quae ad Christum verum pastorem

inducant, a quo omnium pastorum electio pendet, ut rite Ecclesiastica munera conferantur. Sexto. Ostium. D. Chryostomus, Theophylactus, Euthymius, per ostium interpretantur factas Scripturas: haec Dei cognitionem aperient, oues custodiunt, lupos arcant, Haereticis nempe aditum intercludunt. Tamen D. Augustinus hoc loco, & serm. de verbis Domini 49. & D. Cyrillus in Catena Graeca, D. Gregorius homil. 13. in Ezechielem, & lib. 7. Regist. cap. 47. Beda, Rupertus, D. Thomas, & alij communiter, per ostium intelligunt Christum Dominum. Ipse enim de se infra num. 7. ait: *Ego sum ostium.*

8. **O**bstaculis. Christus est pastor ouium; atqui pastor intrat per ostium; ergo cum ipse sit pastor, non potest esse ostium. Respondet primo D. Augustinus & Glossa, & D. Gregorius lib. 9. epist. 41. Christus veritas est, qui ergo vera docet, & praedicat per Christum intrat in Ecclesiam; in hoc coincidit modus dicendi Toleti annot. 2. Ipse est ostium, quatenus per ipsum fidem ingressus patet in ouile Ecclesiae pastoribus, & ouibus. Secundo Maldonatus ait dici Christum pastorem per ostium, id est per se ipsum intrare in Ecclesiam, quia sua auctoritate in eam intrat. Careri vero intrant auctoritate a Christo accepta. Tertio. Christus dicitur Pastor, & ostium; nam ostium hoc loco idem significat, ac legitime ad pastoris officium ingredi; ille ergo legitime ingreditur ad munus aliquod, quod legitima via, ac auctoritate illud assequitur. E contra vero, qui iniuste dignitatem obtinet, hic non intrat per ostium. Addo etiam quod Christus dicitur ostium, quia non solum sibi legitime Messiae dignitatem assumit, sed etiam esse ipsum ostium, per quod reliqui pastores intrare debent.

9. **T**ropologicè Salmeiron tom. 7. tractat. 15. In Ecclesiam, ait, varij varij intrant. Primo nonnulli per ostium, siue portam Caesarem nimirum aulici per commendationem Caesarum, Regum, Principum. Secundo alij intrant per portam auream, scilicet diuites. Tertio alij per portam sanguineam, hoc est per cognatos, & parentes. Quarto alij per portam munerariam, id est, per dona, & manera. Quinto alij per portam famulariam, scilicet serui, & famuli, qui ob obsequia promouentur ab Episcopis, & Praelatis ad dignitates.

10. **V**ltimo tandem. Christus Dominus est pastor, & ostium; ipse enim iustitia, probitas, ac sanctitas, qui ergo per Christum intrat, per iustitiam probitatem, ac meritum ad munera, ac officia Ecclesiastica intrat; dicitur Ioan. Apocalyp. 22. num. 14. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas illis in ligno vita, & per portas intrent in ciuitatem.* Quinam sunt isti, qui stolas suas lauant in sanguine Agni? Hi nimirum, qui crucis Christi imitationem amplectuntur. D. Ambrosius lib. 5. in Lucam, cap. 7. *Tinge, ait, carnem tuam in Christi sanguine, sicut scriptum est ut inungatur pes tuus in sanguine.* Psalm. 67. numer. 24. *Tingis carnem tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tua carne circumferas.* Sed ad quid additur, quod illi, qui Christi mortificationem in carne sua sustinent: *per portas intrent in ciuitatem.* Non fat erat dicere, quod intrent in ciuitatem, non enim poterat esse ingressus per regulas, vel murorum moenia, seu per foramen aliquod

ad quid exprimitur per portas? Illi per portas aperitur aditus, qui per communem, ac regalem laborum viam ingreditur; ipsa crux, ipsaque passionis Christi mortificatio regalis clavis est, quae ostium referat, ut ad supremam felicitatem ingreditur, quam furtiue vult arripere, qui hanc viam non sequitur. Huc aduoco Tertullianum lib. de penit. *Furto quidem aggredi, ait, & propositum huius rei assenerationibus tuis circumduci facile est: sed Deus thesauro suo prouidet, nec sinit obrepere indignos.* Expende vltima verba, prouidet thesauro suo, nec sinit obrepere indignos, sed vult ut per communem meritorum viam ingrediantur.

22. **V**idet Iacob in somnis caelum apertum, & scalam a terra in caelum, Dominumque innixum scalae, Angelosque ascendentes, & descendentes, cumq. euigilasset de somno, pauensq. ait, quam terribilis est locus iste. Et subdit rationem, cur fit formidolosus, & terribilis: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta caeli.* Genes. 28. num. 13. Haec ratio apposita multam mihi ingerit difficultatem. *Contremiscant, qui appropinquant ad portas mortis, & inferni,* Psalm. 106. num. 18. Sed qui se videt approximatum ad caeli portam, cur pauescit? Tanta visione maxime exacutus erat Patriarcha visus, indeque agnoscebat, quod per portam illam non ingrediebantur, nisi fortes milites, ac optimi bellatores, qui mortificationem crucis Christi ferebant, indeque ne ab ea discreparet, Iacob de se ipso timebat.

13. **E**iectis primis parentibus de paradiso. Collocant, Dominus, ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae, Genes. 3. num. 24. Cur non clauditur ipsum ostium, vel alio Custode non munitur nisi Cherubim, & flammeo gladio, atque versatili? Non clauditur, ne spes illuc ingrediendi amittatur, custoditur Cherubim, id est prudentia, & flammeo gladio, ut denotetur, quod per paradysi portam non fit ingressus, nisi qui prius probetur per duos bellorum conflictus, cum prudentia perpeffos. D. Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. *Omnes oportet, ait, per ignem probari quicumque ad paradisum redire desiderant.* Non enim otiose scriptum est, quod eiecit Adam, & Eua de paradysi sede posuit Deus in exitu paradysi igneum gladium versatilem. *Omnes oportet transire per flammam; siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, ut de eo diceret ad Petrum: Sic eum volo manere, quid ad te? Siue ille sit Petrus, qui claves accepit regni caelorum, qui supra mare ambulauit.*

QUESTIO II.

Quare hic tantum oues sequuntur Pastorem, cum ad Adamum omnia animantia adducerentur?

14. **F**ORMATIS igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terre, & vniuersis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea, Genes. 9. num. 19. Conueniunt ad Adam Leo, Ursus, Tigris, Lupus, Bos, & Ouis, Aquila, &c. ut eius uocem audiant, eiusque imperio obediunt; at Christus Dominus de se ipso loquens, ait: *Qui autem intrat per ostium pastor est ouium, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim.* Ecce ad secundum Adamum Christum Iesum, non leones, nec lupi, sed tantum oues veniunt, ab eoque nominari dicuntur? Si ad primum parentem omnes sanguinolentae bestiae introductae sunt, cur ad Iesum solum oues veniunt? Quo Leones, Tigres, ac caetera animantia recesserunt? Non recesserunt; sed ubi primum vocem Christi audierunt, intraque eius ouile, Ecclesiam scilicet ingrediuntur, iam ex sanguinariae bestiae omni crudelitate deposita in mites oues mutantur, & bestiarum feritas in ouium lenitatem transmutatur. D. Anastasius Sinaita lib. 9. Hexameron: *Nominauit, ait, quando Deus eas adduxit ad Adam, ut videret, quid eas vocaret. Sed quando congregabantur quidem, dicebantur bestiae: quando autem introductae sunt in paradisum, & in stabulum boni Pastoris, effectae conformes Agno Christo, statim oues nominatae sunt omnes.* Quod confirmat citatus Anastasius loquens de hoc Christi ouili, seu Ecclesia. *Hac, ait, Magos effecit Apostolos, & facit publicanos Euangelistas, reddiditq. meretrices virginibus honestiores.*

15. **D**ei currum quatuor animalibus, scilicet homine, leone, boue, ac aquila euectum, quem viderat Ezech. cap. 1. num. 10. iuxta fluuium Chobar iterum videt iuxta Dei templum cap. 10. numero 14. *Facies vna, facies Cherub: & facies secunda, facies hominis, & in tertio facies leonis: & in quarto facies Aquila. Et eleuata sunt super Cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* Maxime ponderandum, quod in hac secunda visione, videt currum ferri ab homine, leone, Aquila, non tamen a boue, ut prius, sed pro boue videt Cherubim. *Ipsum est animal, quod viderat iuxta fluuium Chobar.* Rabbi Dauid, Pagninus, Antonius Fernandus lib. de visionibus Veteris Testamenti, visione 16. sect. 2. Vitulum, inquit, mutasse faciem suam in Cherubim; sed vnde ista mutatio facta est? Primo facta est apparitio iuxta fluuium. Secundo prope Dei templum, & animal, quod iuxta fluuium, ac mundiales aquas erat bos, & ferus taurus, ubi accessit ad Dei templum, feritate deposita, mutatur in putum, & sanctum Cherubim. Huic valde persimilis est historia de nostro sancto Andrea Corsino superioribus annis canonizato a sanctissimo Domino Urbano VII. cuius mater cum esset grauida: ecce quadam nocte sibi visum est in quiete continere in aluo lupum, qui tamen paulo post ad cuiusdam Ecclesiae ingressum in agnum repente mutatus fuit; quod postea rei euentus demonstrauit; nam cum tanquam lupus vitium adolescentiae indulgeret, cum ad Dei templum deuenisset sumens nostrae sacrae Religionis habitum Agnus factus est.

16. **N**igra sum sed formosa, Cantic. 1. num. 5. Quomodo fieri potuit, ut quae nigra erat, effecta esset formosa? Verba haec a congregatione Gentilitatis esse dicta interpretantur Origenes homil. 2. epist. 4. D. Anastasius in Synopsi, Theodoritus, & alij; nam ipsa gentilitas, quae suorum vitiorum foeditate erat valde deturpata, ubi tamen ad Christum accessit, eiusque Ecclesiae est vnita, valde pulchra, & elegans facta est. Theodoritus: *Quae idololatria, & grauissimis sceleribus prius dedita fuit, formosa tamen per id, quod*